Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

surgit tanto amplius sursum tendit. Sed hu-
militas hominem ponit deorsum. Ergo si move-
atur non potest moveri nisi sursum et tanto am-
plius quanto hic iacet humilius. Nihil enim in
infinito crescat nisi quod a parvitate incipit. Nul-
la enim est arbor que non prius sit parva quam magna. Et
necesse est quantum se in altum sublevat tanto pro-
fundius radicem in terra figit et inferius se dim-
gat. Item nomine edificia omnia primo ponunt fun-
damenta in terra. Et est notabile quia quanto edificium
debet esse sublimius tanto necesse est fundamentum esse
sub terra profundius. Nam si edificium fiat altum
et fundamentum non fuerit profundum cito ruit
quidquid est fabricatum. Vide planta que radices non
profundat primo sed subito quasi crescit ut incu-
rbita natura ostendit sic et in momento deficit.
Ex omnibus iam dictis concluditur quod nobilis
valde est virtus humilitatis quamvis exterius vilis ap-
pareat quia et superbia ut ascendere valeat sepe sub
pallio humilitatis se occultat. Nam vocem hominis
hyena formatur ut quid sit non appareat. Sed sub
voce humilitatis suam crudelitatem abscondit. Cignus
enim sub carne albissima carnem quam nigram valde est
atque duram occultat. Nemo igitur est secundum exteriorem
faciem iudicandus quoniam ignoratur interior virtus.
Nam piper est granum mole modicum sed virtute permaximum.
Est exterius deforme et nigrum. Sed intus est al-
bum. Est tactu frigidum sed potentia calidissimum
sapore acutum odore aromaticum cuius virtus non sen-
titur dum est integrum sed dum est attritum et dentibus
masticatum. Granum synapis quantitate est modi-
cum sed virtute permaximum. Unde Pytagoras dicit
quod inter omnes herbas optinet principatum dum humores
grossos extenuat dum serpentium ictus sanat
dum fungorum venena superat dum dentium colorem
mitigat dum lapidem in renibus dissipat dum appetitum